



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. V. De Cæremoniis Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

non diligenter inquirat in talis Baptismi valore nisi de hoc aliunde constet. *Quint. l. 1. §. 6. & 7.*

IV. Non est rebaptizandus, de cuius Baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet fœminæ; dummodo non sit suspecta, nec alius obster. *Laym. l. c.*

V. Qui verè & rationabiliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum, & Parochum ei conferre. *Quint. l. c. §. 13. & 19.* & interea abstinere ab usu aliorum Sacramentorum.

Resp. II. Baptismus sub conditione, hac forma conferendus est: *Si baptizatus es, non te baptizandum es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine &c.* Ac licet sufficiat, sola mente conditionem proponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est, exprimere verba saltem ista: *Si non es baptizatus, &c.* *vid. Tol. l. 2. c. 19. Laym. l. c. Suar. d. 31. Fill. t. 2. c. 4. q. 9.* Patrinus autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec adhibendus. *Quint. l. c. §. 18.*

DUBIUM V.

De Cæremoniis Baptismi.

ARTICULUS I.

Quæ servanda circa cæremonias baptizandi?

Resp. Cæremoniæ Baptismi petendæ sunt ex agenda cujusq; Ecclesiæ. Universim tamen circa eas servanda sequentia. I. Baptismum extra ne-

cessitatem, absque peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quæ cum deest, habetur formula brevis in quibusdam Agendis, ex tempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quod si etiam hac formulâ careas, adhiberi potest aqua communis benedicta. 2. Baptismum solemnem non conferendum, nisi in templo & loco ad id deputato, nisi filiis Regum, & Principum, quibus adde filios Catholicorum, in locis hæreticis: interim quoad hoc, in magnatibus & nobilibus conuenietur in multis locis. *Laym. cap. 8. n. 8.* 3. Infantes ex consuetudine deferendos ad Baptismum, circa diem octavum, nisi prius sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis, (v.g. quia patrini sunt expectandi) in qua tamen non licet communiter, extra necessitatem, privatim baptizare, & postea adhibere solemnitates, sed præstat expectare aliquamdiu. *Laym. cap. 6. n. 8.*

IV. Baptizanti non licet adhibere cæremonias aliquas, omittis aliis. Quia vel fiet in Baptismo solemniter, quod prohibet *Trid. sess. 7. cap. 3.* vel privato: sed in hoc prohibet *Clementina unica*, illas adhibere, nisi sit filius Regis, aut Principis. De patrino tamen usus habet, ut & tunc adhibere possit, etsi non sit necesse. Et multi purant adhibitum non contrahere cognationem spiritualem, nec vere patrinum effici, ut *Sanch. Rodriq. contra Laym. & Suar.* quorum tamen sententia videtur probabilior.

V. Cum in necessitate, vel aliam ob causam, (nam ob gravem causam, v.g. justum timorem infamiae, aliquando licitè fit) Baptismus sine cære-

monis est collatus, ea cessante, illæ solemnitate
templis sunt supplendæ. Quod tamen non est mo-
ris in hæreticis conversis, ne plebs putet, nos so-
rum Baptismum improbare. *Laym. c. 8. n. 10.* Imo
in aliis ommittere, secluso contemptu, esse tantum
veniale docet. *Posserv. de off. Cur. c. 6. n. 23.* Qui re-
tem tenet more Patrini infantem, dum caremo-
niæ suppletur, non contrahere cum eo cognatio-
nem spiritualement, *Dian. p. 3. t. 4. R. 260.* ex Pano
dicit esse probabile.

VI. Si Baptismus collatus deprehendatur
isse invalidus, non ideo repetendæ sunt caremo-
niæ.

ARTICULUS II.

Qui Patrini, & quod eorum offi- cium?

Resp. I. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui
baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam.
Unde eorum officium est; baptizatum de rebus
fidei instruere; orationem Dominicam & Symbo-
lum docere; ad quod obligantur, si id ab aliis non
fiat. *Laym. l. 2. t. 5. c. 9.*

Resp. II. Ut quis validè sit Patrinus, non certæ
ætatis; sed requiritur 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit
baptizatus, (quia non potest esse pater, qui ipse
nondum sit natus.) Et quidem, ut ejus Baptismus
fuerit validus: quia accessorium sequitur princi-
pale. 3. Ut à parentibus, vel Parochò, ad hoc deli-
gnatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultro
se

se ingerens sit admissus, designatos autem ritè à parentibus, Parochus non validè mutat. *Dian. p. 7. t. 9 R. 50. 4.* Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit, ut in solis cæremoniis) per se, vel procuratorè tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat. *Laym. c. 9 n. 9*

Resp. III. Validè quidè, sed illicitè sunt patrini, Abbas & monachus. Quo nomine nō veniūt medicantes, etsi *Laym.* omnes claustrales comprehēdos velit; & quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Conjuges respectu conjugum, & parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatæ & hæretici, qui nullo casu videntur advocandi: quia ea advocatio esset protestatio, quasi falsæ religionis, cum non nisi de falsâ fidè sint sponsuri: etsi *Laym.* hic *cap. 9. n. 7.* probabiliter dicat, posse subinde ob gravem causam admitti. Catholici verò, ob rationalem causam, infantem hæretici, baptizante Prædicante, suscipere possunt, saltem in Germania, *Laym. cap. 9. num. 6.* 5. Plures quàm duo; quia *Trid.* non nisi unum, aut ad summum unum, & unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam. Ideoque mandat Parochis, sub pena arbitrio Ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, petant ab iis, ad quos spectat patrinos designare, ut unum vel duos nominent, eosque tantum admittant, qui soli cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque de contracta spiritali cognatio-

ne instruat : scilicet quod ea impediatur, dirimaturque matrimonium: non quidem inter se, sed inter ipsos & baptizatum, ejusque patrem & matrem, sicut etiam inter baptizantem & baptizatum, baptizati que patrem & matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suscipiunt in necessitate. v. *Laym. l. infra citandus* Unde resolves.

I. In privato Baptismo, ob necessitatem datus pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus infantem; cum in hoc casu nulla sit patrinus necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in Baptismo publico temerè faciat, (idem est, si prolem suam ipse baptizer) graviter peccat, & in hoc contrahit in posteriore casu cognationem cum conjugate, atque ut docet *Sanch. de matr. d. 36* & alii communiter, privatur jure petendi debitum, quod tamen negat *Con. & Dian t. 4. de sacram. R. 3. v. Bonac. de matr. q. 3. p. 5. §. 2. Escob. tr. 7. E. 2.* ubi citat *Suar.* negantem.

II. Si inter multos patrinus nulli certi à parochis, aut in eorum defectu, à Parocho designentur, qui aliis seclusis cognationem contrahant, sic multi simul ex ignorantia, vel Parochi negligentia levent, probabile est, omnes contrahere cognationem; (nisi tamen assistant tantum, & non tangant) v. *Laym. l. 5. t. 10 p. 4. cap. 8. & tr. cap. 9. n. 4. Dian tamen p. 9. t. 7. R. 5* ex *Suar. Marat. & Perez.* dicit, eo casu nullum contrahere cognationem.

III. Parochus graviter peccat, si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum re-

ferre in librum; tum ob legem *Trid.* in re gravi & sub pena gravi; tum ob incommoda, & damna inde sequentia. *Quintan. t. 1. f. 11. 2.* Si ejus culpa Patris plures adhibeantur, *Quint. l. c.* Ac licet *Perez. & Ser.* apud *Dia. p. 9. t. 7. R. 5.* dicant esse probabile, quod tantum peccet venialiter; alii tamen mortalis eum damnant.

CAPUT II.

De Confirmatione,

DUBIUM I.

Quid sit, & quæ ejus materia & forma?

Resp. I. Confirmatio est unctio chris-matis sub præscripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo, quâ is ex Christi institutione, gratiæ augmentum & robur accipit.

Resp. II. Materia ejus remota essentialis, est chrisma, confectum ex balsamo & oleo olivarum, benedictum ab Episcopo. Ita commun. Doct. *Unde resolves.*

I. Non sufficit solum Balsamum, ut voluit *Canus*, nec solum oleum, ut voluit *Cajet. Sotus Nav.*

II. Etiam benedictio Episcopalis est de essentia, ut habet communis contra *Cajet.* ideoq; nulla delegatione, sive Episcopi, sive Papæ, simplex Sacerdos potest conficere chrisma, *Con. d. 72. a. 3. dub. 1. cap. 4.*

III. Perinde est ad substantiam sacramenti, sive chrisma sit novum, sive verus: licet graviter peccet,